Echinus marinus Ovarius rotundus nudus maior papillis mamillaribus ſcutulatis foliis minoribus, et hinc pluribus in una ſerie ordinis contentis aculeis longiſſimis è mari rubro Aldrov. cum omnibus ſuis partibus internis.

Corticis eius cruſtacei exterior facies rufeſcens è pulvere obſcurè rubro, et ſplendente, quo integra eius ſuperficies inſperſa exiſtit cum duplici ordine papillarum mamillarium ſcutulatarum ſuisq; ſeptis è ſuturis linearibus tranſverſis formatis, eosq; diſtinguentibus papillulis ſimplicibus interſtitia ſcutulatarum occupantibus.

Eiusdem corticis interna facies, ut ſupradictæ articulationes teſſellarum anguloſarum et figuræ apophyſium cordiformium, circa foramen oris ſitarum, eo clarius appareant.





Decem oſſicula vomeri-formia: An Echinodi maiores vulgares, ſeu dentes Echinitæ maximi laticlavii? Luid. Nº. 1078. t. 9.

Partes internæ Echini cortice ablato conſpicuæ ſecundum Rumphium tab. 13. litt. A.

Quorum baſes quoq; decem oſſicula phlebotomi-formia dicta.



Quæ ſimul unita, et articulata unam è partibus internis Echini exhibitis à Rumphio et hicquoq; repræſentatis non ineptè præſeferre videntur.

Quatuor oſſicula columnettæ-formia: An piſtillaria Luid. dicta? Nº. 1198. t. 8.

Quinque oſſicula imbrici-formia, ſeu lintri-formia.